UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev: Et Eximii Patris P. Francisci Aloysii Kamperger E Societate Jesu Ss: Theologiæ Doctoris ejusdémque olim in Carolo-Ferdinandæa Universitate Pragensi Professoris Publici & Ordinarij Dein ...

Kamperger, Franz Alois

Eystadii, 1705

Articulus II. An homo possit naturaliter appetere Beatitudinem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-84291

Visual Library

ARTIC. II. *An homo possit naturaliter appetere beatitudinem?*

RESP: posse. Probatur de beatitudine naturali: Quia beatitudo naturalis est maximum bonum hominis, éstque ab ipso naturaliter obtinibile, potéstque illi, ut tale, proponi; ergo potest illud naturaliter appetere, tam appetitu innato, quàm elicito. 2. Quia homo naturaliter appetit scire; quod verum est tam de appetitu elicito, quàm innato, ut rectè D. Thom: 1. 2. Q. 10. a. 1. Atqui beatitudo naturalis est quædam pars perfectissima scientiæ, cùm, ut suppono ex Ethicis, consistat in cognitione DEI; ergo &c. 3. Ita se habet Finis ultimus in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationis in intelligibilibus: nam sicut hæc principia sunt prima in cognitione Intellectûs, ita Finis ultimus est primus in intentione voluntatis; & sicut principia sunt nota per se, & non per aliud, ita Finis ultimus est appetibilis per se, & propter se, non verò per accidens, & propter aliud &c. Atqui Intellectus naturaliter assentitur primis principijs; ergo etiam voluntas naturaliter appetit Finem ultimum. Finis autem ultimus voluntatis, est beatitudo naturalis; ergo &c.

Prob: jam Conclusio de beatitudine supernaturali: Quia ly *naturale* accipi potest tripliciter: 1. prout *naturale* opponitur libero, éstque idem, quod necessarium. 2. prout opponitur supernaturali, seu illi, quod excedit vires naturæ. 3. Prout opponitur violento, éstque idem, quod conveniens, & consentaneum naturæ. Atqui omnibus his sensibus potest homo aliquomodo appetere naturaliter beatitudinem supernaturalem; ergo &c. *Prob: Min:* in primo sensu, accipiendo *naturale* pro necessario: quia proposito aliquo ingenti bono, statim homo sentit in se excitari illius appetitum & desiderium, saltem inefficax, & per modum simplicis complacentiæ, idque ante omnem libertatem voluntatis, ut testatur experientia. Atqui beatitudo supernaturalis est maximum hominis bonum, potéstque illi, ut tale proponi, sive per revelationem, sive per solum discursum naturalem; ergo homo illam appetet (saltem appetitu inefficaci, & per modum simplicis complacentiæ) naturaliter, & necessariò. *Confir:* Quando homo intuetur aliquem effectum, cujus ignorat causam, naturaliter (id est non liberè, sed necessariò) oritur in illo appetitus cognoscendi causam, ut quotidie experimur; hic autem appetitus non satiatur per cognitionem causæ quoad an est, sed ulteriùs tendit ad illam cognoscendam quoad quid est: ut v. g. si cognoscat aliquis eclypsin solis, licèt sciat, procedere illam ab aliqua causa, quia tamen nescit, quid illa causa sit, admiratur, & admirando inquirit, nec priùs quiescit ista inquisitio, quàm perveniat ad cognitionem essentiæ, & quidditatis causæ. Subsumo jam: Atqui DEUS est Causa Prima omnium effectuum; ergo homo naturaliter appetit cognoscere DEUM, quoad quid est. Sed cognitio quidditativa DEI est beatitudo supernaturalis hominis, ut dicetur Q. 6. a. 2. Ergo homo naturaliter, seu necessariò, appetit beatitudinem supernaturalem. *Probatur eadem minor* in secundo sensu, accipiendo *naturale* pro eo, quod non excedit vires naturæ. Potest actus naturalis, & supernaturalis versari circa idem objectum materiale supernaturale, ut patet in hæreticis, & dæmonibus credentibus fide humanâ, & naturali mysterium Incarnationis, vel Trinitatis; ergo idem dicendum de appetitu hominis respectu beatitudinis supernaturalis, posse videlicet circa illam versari duplicem appetitum, unum supernaturalem spei infusæ, alterum in substantia naturalem. *Confirm:* Quantò quid minùs est possibile, tantò est minùs bonum, & consequenter minùs appetibile. Ergo quæ simpliciter sunt impossibilia, sunt minùs appetibilia, quàm quæ sunt tantùm respectu virtutis naturalis impossibilia; & tamen homo potest appetere actu entitativè naturali (saltem inefficaciter, imperfectè, & quasi conditionatè) objecta simpliciter impossibilia; ergo etiam poterit, saltem sic, appetere beatitudinem supernaturalem, quæ tantùm est homini impossibilis, loquendo naturaliter. *Confirmatur*, & declaratur hoc ipsum: Quod est simpliciter impossibile, non est homini naturaliter possibile, imò nullo modo; & tamen illud homo potest actu in substantia naturali appetere; ergo etiamsi beatitudo supernaturalis sit naturaliter homini impossibilis, poterit illam homo actu in substantia naturali appetere. *Probatur denique eadem minor* in tertio sensu, accipiendo *naturale* pro eo, quod est naturæ conveniens & consentaneum. Quia omnis perfectio est conveniens, bona, & consentanea respectu sui perfectibilis. Atqui ordo gratiæ, in quo etiam continetur beatitudo supernaturalis, habet se ad naturam, rationalem, & Intellectualem, ut elevabilem, & secundùm potentiam obedientialem consideratam sicut perfectio ad perfectibile; ergo beatitudo supernaturalis est bona, conveniens, & consentanea naturæ rationali; seu humanæ, & consequenter homo appetit illam appetitu sibi conveniente, consentaneo, & naturali. *Confirm:* Perfectio uniuscujusque potentiæ consistit in hoc, quòd attingat simpliciter suum objectum. Atqui objectum intellectûs est, quod quid est, seu quidditas, & essentia rei, ut dicitur 3. de anim: tex: 26. ergo perfectio

intellectûs est attingere quidditatem & essentiam rerum, inter quas etiam est DEUS, omne autem perfectibile appetit appetitu naturali, sibíque conveniente, & consentaneo propriam suam perfectionem; ergo homo, ùt intellectivus, appetit appetitu naturali attingere quidditatem, & essentiam DEI; hæc est autem beatitudo supernaturalis, ùt infrà dicetur; ergo homo appetit naturaliter, etiam hoc sensu, beatitudinem supernaturalem.

Notandum est tamen circa dicta 1. Quòd licèt homo possit appetere naturaliter beatitudinem supernaturalem appetitu elicito, non posse tamen illam appetere appetitu innato. Ratio est: quia appetitus innatus fundatur in potentia & capacitate naturali; imò reipsâ non est aliud, quàm potentia naturalis, ùt connotans bonum ordinis naturalis, & naturaliter obtinibile; atqui in homine non est potentia naturalis sive activa, sive passiva, ad beatitudinem supernaturalem, sed solùm obedientialis, neque beatitudo ista est bonum ordinis naturalis, & viribus naturæ obtinibile; ergo ad eam non datur appetitus innatus in homine. Ubi tamen rursus advertendum: licèt homo simpliciter, & secundùm sua naturalia sumptus, non habeat appetitum innatum ad beatitudinem supernaturalem, habere tamen, si sumatur cum gratia habituali ipsi inhærente. Ratio est: Quia gratia habitualis in ordine supernaturali habet se ut natura: est enim primum principium intrinsecum omnis motûs, & operationis supernaturalis, & per illam efficitur homo divinæ consors naturæ, 2. Petr: 1. & Filius DEI adoptivus, quæ Filiatio esse debet in similitudinem naturæ &c. de quo alibi; omnis autem natura fundat appetitum innatum ad bonum sibi proportionatum, tale autem bonum est beatitudo supernaturalis respectu gratiæ habitualis: utraque enim est ordinis supernaturalis; ergo homo, ùt habens gratiam habitualem, dicit appetitum innatum ad beatitudinem supernaturalem. *Et confirmatur*: Quia homo, ut instructus gratiâ, habet capacitatem connaturalem ad beatitudinem supernaturalem, & hæc vicissim est bonum connaturale, & eiusdem ordinis respectu ipsius; ergo &c. 2. *Notandum*, quòd licèt homo, secundùm se spectatus, possit appetere beatitudinem supernaturalem appetitu naturali elicito, imperfecto, inefficaci, & quasi conditionato, si nimirum in se sit possibilis, vel si ipse ad eam, DEI munere, pertingere possit; non posse tamen illam appetere appetitu perfecto, efficaci, absoluto. Ratio est: quia intentio (idem est de appetitu) efficax & absoluta Finis est virtualis intentio efficax omnium mediorum absolutè necessariorum. Atqui homo non potest habere naturaliter voluntatem efficacem exequendi omnia media necessaria ad beatitudinem supernaturalem acquirendam: Si enim non potest homo viribus naturalibus habere voluntatem efficacem credendi mysteria Fidei supernaturalis, quæ est unum medium necessarium ad hanc beatitudinem, quomodo poterit habere voluntatem efficacem & hujus, & omnium aliorum mediorum ad illam requisitorum? ergo &c.

Sed contrà 1. Si in homine datur appetitus innatus beatitudinis naturalis, ille vel resideret in intellectu, vel in voluntate. Non in intellectu; quia omnis appetitus tendit in suum objectum sub ratione boni, Intellectus autem sub ratione veri. Non etiam in voluntate: quia beatitudo consistit in actu intellectûs, nimirum in cognitione DEI; voluntas autem non appetit appetitu innato actum alterius potentiæ, sed tantùm suum, quia non appetit bonum alienum, sed tantùm proprium; ergo non datur in homine appetitus innatus &c. *Resp*: in utraque potentia dari hunc appetitum. Ratio est: quia omne perfectibile appetit appetitu innato suam perfectionem. Atqui omnis potentia est perfectibilis per suum actum; omnis igitur potentia appetit suum actum. Atqui Beatitudo consistit partim in actu intellectûs, partim voluntatis, ùt Quæst. 6. art. 2. & 3. dicetur; Ergo in utraque hac potentia datur appetitus innatus beatitudinis; in intellectu quidem, in quantum ea consistit in cognitione DEI, in voluntate verò, quatenus consistit in amore. Imò rectè dici potest, etiam in quantum beatitudo consistit in actu intellectûs, dari appetitum innatum ad illum in voluntate. Ratio est: Quia, cùm voluntas sit appetitus universalis, & totius suppositi, non tantùm appetit suam propriam, sed etiam quamcunque perfectionem hominis; una autem ex præcipuis ejus perfectionibus est cognitio DEI, in qua partialiter consistit beatitudo; ergo. *Ad primam partem* rationis in oppositum *Resp*: quòd licèt Intellectus tendat in objectum suum sub ratione veri, quia tamen verum, quà verum, est bonum & perfectio respectu Intellectûs, tendendo in objectum sub ratione veri, tendit in illud, ùt sibi conveniens, & bonum. 2. Licèt intellectus tendat in suum objectum, quod cognoscit, sub ratione veri, in ipsum tamen actum, quo illud cognoscit, tendit per appetitum innatum sub ratione boni, & perfectionis sibi convenientis. 3. Intellectus tendit sub ratione veri per actum suum elicitum cognoscendi, Con: per inclinationem suam naturalem & innatam, Neg: Per hanc enim, ùt naturæ cæteræ, fertur sub ratione boni. *Ad alteram part: patet* ex ante dictis: cùm

enim

enim voluntas sit appetitus universalis, cujus objectum est bonum universale & in communi, & sit appetitus totius suppositi & hominis, non tantùm potest appetere bonum proprium, sed etiam quodlibet aliud bonum hominis, & non tantùm suum actum, sed etiam alterius potentiæ, quæ reperitur in eodem homine.

2. Agens voluntariũ contradistinguitur ab agente naturali, ùt patet ex 2. Physic: Ergo homo non appetit per voluntatẽ naturaliter beatitudinem, sive naturalem, sive supernaturalem. *Confirm: 1.* Quod est alicui naturale, hoc inest illi semper. Sed appetitus beatitudinis non inest homini semper; ergo non est illi naturalis. 2. Natura est determinata ad unum. sed homo, cùm sit liber, habet se ad oppositа: ergo nihil vult naturaliter, & consequenter nec beatitudinem. *Resp:* Agens voluntarium contradistinguitur à naturali, secundùm aliqua, & & aliquem operandi modum, Conc: Agens enim naturale operatur omnia ex necessitate, voluntarium autem operatur etiam quædam liberè; operatio agentis voluntarij procedit necessariò ex cognitione Finis, modo inferiùs explicando, non verò agentis naturalis &c. Agens voluntarium contradistinguitur à naturali secundùm omnia, & secundùm omnem operandi modum, Neg: *& Neg: Cons:* Cùm enim causæ posteriores participent semper aliquomodo operationem causæ prioris, voluntas autem fundetur in natura, sicut causa posterior in priore (priùs est enim esse per naturam, quàm velle per voluntatem) sequitur, voluntatem participare aliquomodo modum proprium operandi naturæ, qui est agere naturaliter, sive necessariò. *Ad 1. Confirm: Resp: Neg: universaliter Major:* Nam ferri sursùm est igni naturale, & tamen hoc non inest semper igni, sed solùm tunc, cùm est in certa dispositione, puta, cùm est extra locum suum naturalem. Similiter ergo non est opus, ut appetitus beatitudinis semper insit voluntati, sed solùm, cùm est in certa aliqua dispositione, puta, cùm illi beatitudo debito modo proponitur, cùm non est nimiùm distracta circa alia objecta &c.

Resp: 2. Dist: Maj: Quod inest alicui naturaliter ratione formæ, sive actûs, hoc inest illi semper, Conc: quod alicui inest ratione materiæ, vel potentialitatis, Neg: Actus enim non potest esse ratio potentialitatis, neque potentialitas actualitatis, adeóque actus, qui est alicui ratio inessendi, necessariò est ratio inessendi semper actu, & similiter potentia, quæ est ratio alicui inessendi, est ratio inessendi solùm in potentia, ita, ut possit inesse, licèt non semper actu insit. Cùm ergo appetitus beatitudinis, sit motus quidam, & operatio respectu voluntatis creatæ, motus autem insit mobili ratione potentialitatis (motus enim est actus entis in potentia prout in potentia) sequitur, hujusmodi appetitum non debere semper actu inesse voluntati creatæ. Aliud est de voluntate Divina, seu increata: hæc enim, quia non est in potentia ad motum, sed actus purus, quidquid ei naturaliter inest, semper inest. *Ad 2. Resp:* Natura est determinata ad unum vel commune, vel particulare, Conc: tantùm ad unum particulare, Neg: semper enim naturæ respondet aliquid unum proportionatum naturæ. Cùm igitur, sicut agentia & Causæ, ita naturæ aliquæ sint universales, aliquæ particulares, universalibus respondet aliquid commune & universale, particularibus aliquid unum particulare. *Similiter Dist: Min:* Homo non est determinatus ad unum particulare, Conc: ad unum universale, Neg: Homo enim est intellectivus, & volitivus, intellectus autem & voluntas, utpote potentiæ universales, sunt determinatæ ad unum commune, intellectus quidem ad ens & verum, voluntas ad bonum. Ex quo ulterius sequitur, hominem esse determinatum ad appetendam seu volendam beatitudinem, quà talem, idque tam quoad speciem, quàm quoad exercitium. Quoad speciem quidem: quia homo est quoad speciem determinatus ad volendum bonum quà tale, ita, ut si aliquid velit: necessariò velit bonum, quà bonum, neque possit velle oppositum, seu malum quà malum, & si aliquid nolit, non possit nolle bonum, quà tale. Cùm ergo beatitudo quà talis, importet formalissimè rationem boni, sequitur, ad illam, quà talem, volendam, hominem esse determinatum quoad speciem, ita, ut ned illius oppositum possit velle (subintellige per se, & directè) neque illam nolle. Quia verò eadem beatitudo, quà talis, non solùm importat rationem boni, sed insuper boni perfecti, & consummati, id est, talis, cui nihil deficit boni, sequitur præterea, hominem esse determinatum ad illam volendam, etiam quoad exercitium, ita, ut, si illi proponatur, non possit illam aliquomodo non amare. Quia, ut alibi dixi, omne objectum est volibile, in quantum est bonum, nolibile, in quantum est malum, non volibile, in quantum non est bonum: Atqui beatitudo, ùt talis, cùm non habeat defectum ullius boni, sed contineat omne bonum, sítque purum bonum, non potest proponi, ùt aliquando non bona: ergo non potest esse non volibilis, sed tantùm volibilis. E contrariò, omnia alia bona particularia, in quantum non continent omne bonum, possunt accipi, ùt non bona, adeóque potest illa homo aut velle, in quantu n sunt aliquomodo bona, aut non velle, in quantum sunt aliquomodo non bona.

3. Ad quod datur potentia naturalis activa, vel passiva, ad hoc datur appetitus innatus. Sed in homine datur potentia activa, & passiva ad visionem DEI; ergo datur in homine appetitus naturalis ad illam. Visio autem DEI est beatitudo supernaturalis, ùt nos ipsi fatemur; ergo ad beatitudinem supernaturalem datur in homine appetitus innatus. *Prob: Minor:* de potentia activa: Quia omnis potentia ad efficiendum actum vitalem est naturalis. Sed visio DEI est actus vitalis, efficitúrque verè ab homine; ergo &c. *Prob: ead. Minor* de potentia passiva 1. Authoritate Augustini l. 1. de Prædest: sanct: c. 5. ubi ait, *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratiæ est fidelium.* Eadem autem est ratio de visione, quæ de Fide, & charitate: utraque enim est ordinis supernaturalis. 2. Ratione. Illud est naturale, quod est inseparabiliter conjunctum cum natura ex vi ipsius naturæ. Atqui capacitas passiva ad recipiendam visionem est inseparabiliter conjuncta cum natura humana ex vi ipsius; ergo &c. *Resp: Neg: Min: quoad utramque partem.* Ratio quoad priorem partem est: quia potentia activa naturalis debet esse proportionata suo actui, non est autem illi proportionata, si sit inferioris ordinis, quàm sit actus. Atqui intellectus hominis, qui est potentia activa respectu visionis DEI, est inferioris ordinis, quàm visio: hæc enim est ordinis naturalis, debetúrque naturæ hominis; visio autem est in substantia supernaturalis, excedítque omne jus, & exigentiam naturæ, ùt hic suppono ex QQ. de Virtut: Theolog: & grat: Ergo Intellectus hominis non est potentia activa naturalis respectu visionis. *Ad Probat: Resp: Neg: Major:* Ad actum enim vitalem sufficit, quòd petat per se immanere principio, à quo producitur; hoc autem fieri potest, sive producatur à suo principio per potentiam naturalem, sive per obedientialem. Imò, cùm omnis effectus postulet procedere à principio activo, vel per se, & ab intrinseco, vel per accidens & ab extrinseco, proportionato, vel maximè id postulat effectus vitalis. Cùm ergo beatitudo supernaturalis consistat in Visione DEI, quæ est actus vitalis, procedátque ab intellectu; Intellectus autem hominis non sit intrinsecè supernaturalis, ùt per se constat, oportet, quòd supernaturalizetur ab extrinseco. Hoc autem fieri non potest, nisi per hoc, quòd causa supernaturalis & altioris ordinis utatur illo pro instrumento ad producendam Visionem, concurrendo cum ipso ad visionem concursu supernaturali & indebito. Atqui hoc est procedere visionem ab Intellectu, vel homine secundùm potentiam obedientialem, non verò secundùm naturalem: ergo potentia ad efficiendum actum vitalem visionis non est naturalis, sed obedientialis. Ratio posterioris partis est: Quia potentia passiva dicitur naturalis per hoc, quòd ordinetur ad actum naturalem, & quòd illi correspondeat agens naturale: nam, ùt rectè dixit Philosophus, omni potentiæ passivæ naturali correspondet potentia activa naturalis. Atqui Visio DEI non est actus naturalis, neque ad illam in homine datur potentia activa naturalis, ùt dictum est: ergo neque potentia passiva naturalis. *Hinc ad primam Probat: Resp:* Augustinum (ùt clarissimè patet ex toto contextu) non aliud velle, quàm, quòd *posse habere fidem, & charitatem,* sit commune omnibus hominibus, fidelibus, & infidelibus, adeóque per illud *posse* non discerni fidelem ab infideli, sed per actualem fidem, & charitatem; non dicit autem, hominem posse habere fidem, & charitatem per potentiam passivam naturalem, non obedientialem. *Ad 2. Probat: Resp: Neg: Maj:* Ad potentiam enim passivam naturalem insuper requiritur, ut ordinetur ad actum naturalem, & potentiam activam naturalem: nam aliàs nulla daretur potentia obedientialis, cùm hæc necessariò sit inseparabilis, imò identificata cuicunque rei creatæ & naturali. Sequelam autem falsam esse ostendetur suo loco. Quodsi tamen quis contendere vellet, & dicere, per potentiam naturalem aliud à se non intelligi, quàm eam, quæ est inseparabilis à natura ex vi ipsius naturæ, ne quæstionem faciamus de nomine. *Responderi* potest 2. ad principale argumentum *Neg: Maj:* illius: quòd scilicet ubicunque datur potentia naturalis ad aliquid, detur etiam appetitus innatus. Ad hunc enim præterea requiritur, ut ordinetur ad aliquid naturale, & ab agente naturæ viribus ponibile. Ratio est: Quia appetitus innatus est insitus rebus à natura: natura autem nihil facit in ordine suo frustra: frustraneus autem esset appetitus in ordine naturali, cujus objectum intra ordinem naturæ non est possibile. *Præterea* Appetitus naturæ, seu innatus, est in ordine suo efficax, adeóque non potest extendi ultra terminum naturalem, sive ultra id, quod est possibile naturæ. *Sed contrà adhuc*

4. Ad appetendum aliquid appetitu innato, sufficit, quòd sit bonum & perfectio appetentis, sive sit naturale, sive supernaturale. Atqui Visio DEI & Beatitudo supernaturalis est bona homini; ergo illam homo appetet appetitu innato. *Antec: Prob:* 1. Quia res solùm appetitur, ùt conveniens; ergo quò magis est conveniens & perfectior, eò erit appetibilior, ergo etsi sit supernaturalis, poterit appetibilimò & magis

appeti,

appeti, cùm sit magis bona, & perfecta, quàm naturalis. *Probat 2.* Omne perfectibile appetit appetitu innato suam perfectionem. Sed non tantùm beatitudo naturalis, sed etiam supernaturalis est perfectio hominis: ergo etiam hanc appetet appetitu innato. *Probatur 3.* Appetitus elicitus oritur ex innato. Atqui in homine datur etiam circa supernaturalia appetitus elicitus: hoc ipso enim, quòd aliquid cognoscatur ùt conveniens, quamvis apprehendatur ùt supernaturale, statim voluntas erumpit in appetitum elicitum illius; ergo etiam circa supernaturalia dabitur appetitus innatus. *Resp: Neg: Maj:* Ratio patet ex dictis pro Conclus: ubi ostendimus, beatitudinem supernaturalem non cadere sub appetitum innatum. *Et Confirm:* tum à priori, tum à posteriori. A priori: Quia appetitus innatus reipsâ non est aliud, quàm capacitas naturalis ad aliquid conveniens & bonum. Atqui capacitas naturalis non datur, nisi ad aliquid naturale, ùt ex terminis patet; ergo nec appetitus naturalis. A posteriori verò: quia sequeretur humanam naturam habere appetitum innatum ad unionem hypostaticam, vel corpus humanum ad impassibilitatem, immortalitatem, subtilitatem, agilitatem, quæ falsa esse quis non videt? Item sequeretur, omnia supernaturalia posse efficaciter & perfectè appeti à natura (cùm appetitus innatus sit in ordine suo efficax) & consequenter ad fidem eliciendam supernaturalem non esse opus piâ affectione supernaturali &c. quæ falsa rursum esse constat ex materia de Fide, Gratia &c. *Ad 1. prob: Resp:* appetitu elicito appeti rem, ùt conveniens, innato verò, non ùt præcisè conveniens, sed ùt naturæ ex suo genere debitam, & naturæ viribus obtinibilem, quod non convenit rebus supernaturalibus. *Ad 2. Resp: similiter*, Omne perfectibile appetit appetitu innato suam perfectionem, si per ly *suam* intelligatur perfectio quæcunque modo conveniens perfectibili, Neg: si intelligatur perfectio ex suo genere perfectibili debita, & ab illo naturæ viribus obtinibilis, Conc: *Et eod: modo Dist: min: & Neg: Conseq: Ad 3. Resp:* Aliquis appetitus elicitus oritur ex innato, ille videlicet, qui est circa bonum naturæ debitum, & virtute naturali obtinibile; item appetitus elicitus efficax, perfectus, & absolutus oritur ex appetitu innato, Conc: Omnis, & qualiscunque appetitus elicitus, Neg: Aliquis enim appetitus elicitus etiam dari potest circa absolutè impossibilia, multóque magis circa absolutè, quamvis non naturaliter, possibilia, ùt suprà probatum est; hic autem fundari non potest in appetitu innato, ùt etiam multimodè ostensum est.

QUÆSTIO QUINTA:

DE

Beatitudine Hominis Objectiva Essentiali.

ARTICULUS I.

An Beatitudo hominis essentialis objectiva constat in aliquo bono creato, vel in tota collectione bonorum creatorum?

Resp: in neutro consistere. Prob: Conclusio de bonis creatis seorsim consideratis. 1. quia Beatitudo objectiva essentialis, est ultimus Finis hominis, qui ad aliud non ordinatur. Atqui nullum bonum creatum seorsim consideratum, est Finis ultimus hominis, sed omnia ordinantur aliò: *Min: prob:* Quia inprimis bona corporis v. g. ordinantur tum ad bona animæ, tanquam organa ipsius, tum ad esse, & conservationem hominis; similiter honor ordinatur vel ad virtutem, vel ad aliud bonum in homine præexistens, in cujus præmium, vel testimonium defertur: nemo enim rectè honoratur, nisi propter aliquod bonum in ipso existens. Similiter laus, seu fama, & gloria, ordinatur ad aliud, nimirum ad honorem adipiscendum: ideo enim volunt homines laudari, & alijs per famam innotescere, ut ab ijs honorentur. Idem est de divitijs: naturales enim, ùt vestimenta, alimenta &c. ordinantur immediatè ad hominem, ut ejus usibus deserviant; artificiales verò ùt pecuniæ, ordinantur ad comparandas naturales, vel conservandas. Sed & potestas, seu potentia mundana ordinatur ad aliud, tum quia, generaliter loquendo, omnis potentia est ad alterum, tum, quia hujusmodi potestas, cùm sit principium agendi circa alios, qui potestati subduntur, ordinatur ad operationem, & actionem. Denique & bona animæ creata aliò ordinantur: nam primò ipsa anima ordinatur per modum partis ad consti-